DE ALIMENTORUM QUORUNDAM NOXIS RITE COGNOSCENDIS ET VITANDIS...

Antonio Fossati Fantoni

Digitized by Google

19

DE

ALIMENTORUM QUORUNDAM NOXIS RITE COGNOSCENDIS ET VITANDIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

Ad Medicinae Lauream

IN PERVETUSTO ATQUE CELEBERRIMO

C. R. ARCHYGIMNASIO PATAVINO

JURE MERITOQUE ASSEQUENDAM

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

ANTONIUS FOSSATI FANTONI

BENACENCIS

EX TUSCULANO

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.

Fanelli

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

ALIMENTORUM NOXAE

Sexcenta alimenta, quibus homines vescuntur, non semper iis dotibus pollent et ea dosi usurpantur, quae omni noxae formidine constantissime careant; quia copia sive indole peccare alimenta, summorum virorum et quotidiana, dixerim, experientia demonstrat. Cum ergo de noxiis alimentorum qualitatibus aliqua disserere statuissem, saltem de iis dicam, quae magis usui veniunt, brevitate illa, qua lectorum meorum, si ullus unquam erit, patientia nimis non exerceatur, nec praecipuas ciborum noxias, quibus constanter vescimur, alterationes transigam. Cum enim ex cerealibus quotidie pascamur de illis prius aliqua tradere mihi fas sit.

Et primo observare est potissimum triticum et secale variis esse obnoxia morbis, unde malae notae farina habeatur, et panis pessimae naturae conficiatur. Huc praecipue spectant clavus secalinus et ustilago. A clavo autem secalino, quem calcar, secale cornutum, secalis matrem, secale luxurians etiam vocant, Galli ergot, seigle ergoté, Itali vero grano sperone, grano ghiottone, vertigines, spasmos,

Digitized by Google

convulsiones, raphaniam, nauseas, vomitus, stomachi dolores, catarrhos, epilepticos insultus, paralyses et ipsam tandem artuum gangraenam produci; praeter ea quae facultas Maspurgensis dudum observata retulit, praeter epidemias, quae notante Schmeider, anno 1702 Friburgi: annis 1716, 1717 in Saxonia et Svevia: anno 1716 in Helvetia et Langio: anno 1736 in Silesia, observante Scrinc: anno 1741 in Nova Marca, referente Brüekman: anno 1748 penes Soloniates ex Duhamelio: anno vero 1815 in valle Sturae, et in pago Sancti Front grassatae sunt, et tentamenta, quae data opera in animalibus habuere Thessier, Saverne, Read, invictissime probant.

II.

Verum de noxiis numeratis clavi secalini effectibus dubia movent Medel et Parmentier. Jamvero si duos cum Plenkio hujusce secalis morbi admittamus gradus, atque animadvertamus in priori excrescentias, quae ad duodecim et ultra lineas super secalis grana assurgunt, extus violaceas, intus luteo-cineraceas, farinam tenuem, inflammabilem, foetidam, nauseabundum odorem spirantem, saporis caustici, pastam vero glutine orbatam, et panem obscuro violaceum suppeditare; in altero vero secalinos clavos, extus violaceos, parvo foramine in clavo maligno notando, quod emergenti insecto viam praebet, ut refert Read, carere; intus vero albos esse, farinosos, insipidos, innocuos, non difficile aucto-

Digitized by Google

rum dissensum componi posse judicabimus. Sicuti igitur indubie noxius est clavus secalinus malignus; ita non minus nocuus est tritico morbus sic dictus ustilago. Ex ea cephalaeam, virium prostrationem, diarrhoeam produci posse docet Sarcone, cui assentiuntur Zona, Wedel, et Wolf, propriis observationibus innixi. Cum cerealibus insuper noxiae plantae saepe luxuriant, a quorum seminibus eorum potest farina foedari indeque pessimae naturae panis parari. Has inter prae aliis recensendae sunt raphanus raphanistrum, bromus secalinus, ac lolium temulentum. Prae ceteris autem verendi sunt effectus lolii temulenti; ex hoc enim temulentiam, capitis gravedinem, sensuum hebetationem, stuporem, virium prostrationem, extremorum frigus, atoniam, dysphagiam, cardialgiam, vomitus, sudores frigidos, convulsiones, haemorrhagias, deliria, nec non apoplexiam productam esse tum Plenk, tum Joseph Frank, tum alii memorant scriptores.

III.

Panis hic locorum cujus est communissimus usus specialem meretur medicorum attentionem. Substantiarum numerus quibus panis confici potest, juxta praeclarissimum Frank, ultra limites adscendit. Fieri potest non solum ex tritico, secale, hordeo, avena, grano saraceno, zeamais; sed, praecipue tempore charitatis annonae, plures aliae substantiae in usum vocatae fuere ad panem conficiendum. Dura docuit homines necessitas vesci etiam

Digitized by Google

pane ex glandibus quercus, castaneis, baccis rubi chamaemori, vaccinii vitis idaeae, vaccinii myrtilli, empetri nigri confecto. Cortices quoque pini diversarum specierum, tilii aliarumque plantarum, radices manioc, malvae, iridis, colchici, ari italici, dranunculi polyphylli, filipendulae majoris, filicis, bistortae, ellebori nigri, fumariae bulbosae, lilii bulbiferi, et sic porro; semina milii, oryzae sativae, lychnitis, fabarum etc. species nonnullae convolvuli, atque loti, solanum tuberosum aliaeque innumerae hujusmodi substantiae panem suppeditarunt innumeris hominibus fame excruciatis. Et hic notandum quod: quamvis substantiae enumeratae pro cibo sumi possint, tamen plus minusve salus labefactari debet eorum, qui cibis magis nutrientibus vescebantur, indeque usus panis ex hisce parati non nisi tempore charitatis annonae suaderi deberet a medico, ut vita aliquo saltem modo sustineatur. Panis igitur conficiatur ex farina bonae notae et seminibus graminaceis prius bene mundatis. Sed interest praecipue ut matura sint cerealia priusquam in horreo colligantur. Si enim sint immature lecta, farina habetur insalubris ex qua panis glutinosus, qui non nisi ventrilum saburris replere potest, quin nutritioni faveat. Horrea insuper attentionem quam maximam merentur, ne ab ipsis cerealia noxias sumant qualitates. Si humida adhuc, nec bene solis radiis siccata reponantur, vel in cumulis plus quam par sit elatae altitudinis colligantur, cito calefiunt, et in putredinem summum nisum ostendunt. Horrea sat ampla requiruntur, ventis salutata; et granum saepe saepius agitetur. Nam aliter farina corru-

Digitized by Google

pta habebitur et panis exinde pessimae notae. Curculio granarius non levia damna fert cerealibus si ab ipso non defendantur. Cum enim granum intrat substantiam farinosam depascitur, et panis ab illa paratus alimentum suppeditare non valet, quod bonae nutritioni respondeat. Quae in horreo nimis protracto temporis spatio detinentur cerealia, farinam parva in copia praebent, quae facillima ratione in putredinem ruit. Insuper excrementis animalculorum non raro miscentur saluti quamplurimum noxiis. Nec minora damna fert sabulum in farina contentum, ubi enim detritus a molendinario lapis est, pulvere ejus farina inquinatur. Pulvis hic in organismo latus, viscerum obstructiones non raro, duce Frank, gignere valet, minima vasa obturando, bonae obstat nutritioni, et sensim sensimque in alicujus voluminis massa colligitur. Hinc, ut Zückert refert, qui continuo vescitur pane ex farina tali ratione inquinata permultis se exponit incommodis. Arena in stomacho deponitur atque intestinis, et molestias quam plurimas inducit. Ex hinc nauseae, dolores colici, cardialgiae; arena, quae nulla ratione digeri potest a ventriculi viribus, minimorum vasorum lumen permeat, et in caussa est, ut obstruantur vasa, simul adhaereant, atque exulcerentur. Farina quae longius asservatur, praecipue si ab aëre defensa sit, facillime corrumpitur, et eo magis, si prius humiditatem assumpserit. Quae in usum vocatur statim post fractionem granorum, panem suppeditat notae inferioris ac illa, quae per aliquot hebdomades trita fuit. Sed si nimio tempore asservetur, non raro tineis inquinatur, et panis exin-

Digitized by Google

496

de non nisi saluti infensus conficitur. Si enim calx, cinis, gypsum, cerussa farinae adjungantur, graviora damna inde habebuntur. Nauseas, cardialgias, colicas, physconias inde natas memorat Zückert, memorant alii. Fermentum quoque, quo panis paratur, damna non levia fert si vetustius sit vel aciditate majori quam par sit scateat. Praecipue in debilioribus et pueris malam inducit digestionem, et glutine acido intestina foedat, ex quo obstructiones et summa ad helminthiasim dispositio. Coctio quidem pravas qualitates gignere valet in pane. Nemo est qui non videat mala, quae nutritioni et digestioni feruntur, et originem repetunt a pane non perfecte cocto et glutinoso. Furno etiam lignis quae plumbei vel cuprei oolores tinxere, excalfacto, veneficam indolem panem sumpsisse, indeque terrifica symptomata et mortem subsecutam adnotarunt Medel et Malouin. Caveatur igitur a pane ex vetustiori et acescente fermento parato, non probe cocto, calente, nimis vetusto, sicco, acido, mucido; infensissimus considerari meretur qui ex sulphate aluminae, ut Londinenses in more fuisse refert Zückert, vel ex cerussa, vel ex alia quavis noxia substantia adulteratus; respuendus qui ex infecta a secale cornuto, vel ustilagine, vel lolio temulento farina conficiatur.

IV.

Venenatae etiam stirpes cum salubribus improvide confusae, infensissimae evadere possunt; aethusam cy-

Digitized by Google

napium cum apio petroselino; conii maculati radices cum radicibus pastinacae; hyoscyamum nigrum cum feniculo; atropam belladonnam cum vaccinio myrtillo confundi posse; hinc autem gravia damna sobolescere exploratum.

V.

Plurima et mala ex animali victu verenda; animalium quippe vel veneno vel morbo peremptorum carnes, licet interdum innocuae visae sint; nonnullis attamen in casibus noxiae fuere observatae. Lethalem epidemiam ab ovilla infecta carne comesta communicatam tradidit Borelli; comesam lupi rabidi carnem affectionem venatoribus propagasse, scribit Fernellius; id genus exempla quamplurima Faber, Lentilius, Beherens, Mangetus aliique proferunt, omni noxae formidine infectas carnes haud semper vacare testantia. Quaesitum est utrum lepra et scabies a comesa suilla carne propagari queant, ut Ægyptii dudum, inde vero Hebraei, ac ipse Plutarchus arbitrati sunt. Verum dum Hippocratis, Celsi, Galeni, Varronis testimonia et quotidiana penes nos observatio salubrem et una sapidissimam suillam carnem demonstrant, quam erronea sit priorum sententia una simul apparet. Suilla quidem caro hydatidibus referta nauseis favet, at nec syphilidem, nec tetrum alium morbum ex ea esse metuendum cum Sprengelio arbitrandum, si forsan climatum differentia aliquid non contribuat ad suillam carnem inquinandam, ut dum hic

Digitized by Google

4 4 5

locorum, cum illam recte sanam, experientia demonstret, aliis in locis, uti saluti infensa sit rejicienda.

VI.

Animalium porro carnes multo certius nocent, ubi putrescentes, immaturae, pinguiores, nimis exsuccae, vel ex animali praegnante, aut venerea tentigine laborante vel senio confecto depromptae comedantur; ex his enim nauseae, vomitus, ventris cruciatus, diarrhoeae, similiaque mala producuntur. Siculi vero ceterorum animalium, ita et piscium computrescentes carnes saluti adversas esse, multiplici est observatione sancitum. Malignam febrim octo in individuis a comesto fracido pisce subortam memorat Tissot. Eadem testantur Godefroy, Unzer, alii. Insalubres esse pisces, qui morantur in aquis, ad quas omnigenae sordes affluunt, et jampridem docuit Galenus, et propria observatione confirmavit Spielmannus.

VII.

Gadum merlucium et morvam, anni tempestate, qua oestro percelluntur venereo, venenatam assumere naturam indubium: at non ita certa caussa. Sunt qui cum Mounier id a polypis, quibus eo tempore vescuntur, reputant; quod si omnibus non probatur, omnes tamen de noxiis qualitatibus consentiunt. Ingratae item, ac insalubres sunt ostreae ac mytili, quo tempore ova deponunt; ab hisce namque tunc comestis acerrimum pru-

Digitized by Google

ritum, latas maculas et pustulas per cutem, quales exhibet hydroa - sudamen, anginosas affectiones, tussim producta fuisse legimus.

VIII.

Neque semper salubre lac. Cum enim alimentorum et medicamentorum vires illud servare constet; hinc quo pacto noxium evadat jam patet. Cum nutrix medicamentum sumpsisset, et ubera puellae praebuisset ad superpurgationem usque miscllae alvus turbata est, ut refert Bartholinus. Plures infantes, quorum nutrices nimio vinoso potui indulgebant, convulsione tentatos vidit Boerhaave. Constat insuper ex Targioni — Tozzetti observatis vaccarum lac ex comestis tithymalis purgans evadere atque drasticum, et venenatum fieri lac caprinum, si, ut observavit Viridet, gratiola caprae vescantur. Lac etiam a morbo mutari, notissimum. Timaeus luctuosam habet historiam integrae familiae, quae ab uno vaccae, quam rabidus momorderat canis, ingesto lacte hydrophobiam contraxit. Venenatam et nansciscitur indolem ubi diu inter vasa cuprea servetur; hinc vero et colicae, et alia gravissima mala sobolescunt. Butyrum intra noxia metallica vasa servatum iisdem favet malis; si autem vetustum et rancidum usu veniat, pyrosim, cardialgiam, colicam et pejora adhuc mala adsciscere potest. Ipsa aromata, speciatim vero acria, ubi justo magis iisdem utamur, in sensibilioribus praesertim hominibus, inflammationes nervorumque distentiones gignere possunt.

Digitized by Google

500

IX.

At non una qualitate nocent alimenta, sed et copia et modo, quo ingeruntur, nocent. Quamquam vero debita, quae ingeri possit, alimentorum copia non ita facile queat constitui; nimia attamen alimenta eum ingessisse dicemus, qui, plusquam vires ferre queunt, voravit Hac autem de caussa non somnolentia solummodo, sed et capitis et abdominis dolores, somnus irrequietus, incubus, nonnunquam vomitus et alvi fluxus, pyrosis, flatus aliaque digestionis vitia insolescunt; quin et mentis stupor atque subita mors hinc timenda perhibentur, uti La-Mettrie penes Lord Tirconel lautius prandenti contigisse memorat Zimmermann. Quod si contraria teneat ratio, atque inediae diu homo sive volens sive coactus se dedat, tunc nauseae, vomitus etiam biliosi, ut Morgagni, Gorter, Fantoni viderunt; oris foetor, et brevi post deliria, animi ferocitas quam graphice adeo in Henriade descripsit Voltaire, desperatio cum hallucinationibus, tandem febres ataxicae et adynamicae, animi deliquia, nervorum resolutiones, marasmus et tarda mors consequuntur, qua enata, si resecetur cadaver, non solum exsucca et lucentia, ut Cocchi vidit, apparebunt abdominis viscera, sed arctatum ita ventriculum conspicere erit, quemadmodum observarunt Collin, Littre, Ruyschius, alii, ut tenui intestino non major appareat.

Digitized by Google

X.

Qui justo avidius cibos ingerunt, eos etiam propriae non consulere saluti indubium est. Quum enim alimenta nec probe contrita, nec debita salivae copia commixta ventriculo tunc committantur et ea lentius subigi debere et digestioni officere inficiandum haud est. Suae tandem non consulunt saluti, qui jugiter alimenta vorant; si enim voracitati et cynorexiae favent postremi; ex nimia, quae una vice ingeri debet, ciborum copia, gravato ventriculo, ructibus, nauseis, stomaci doloribus prophasim ponunt alii; omnes vero sexcentis aegritudinibus viam aperiunt.

XI.

Millenis hisce quae ex alimentis vel qualitate, vel copia peccantibus producuntur malis ut occurramus, ea quae utilia sunt docet hygiene. Et primo ille suae consulere saluti homo dicendus, qui animali et vegetabili victu promiscue vescatur; licet enim herbivorum hominem nonnulli praedicent, sarcophagum alii, argumentis ex dentium forma et cibarii canalis structura petitis, polyphagum attamen esse ex populorum et gentium observatione, ex variis legibus quae penes varias gentes erga esculenta viguere probatissimum est. Generatim tenendum, quo debilior est stomachi vis, eo difficilius carnes subigi, tunc vero uti ex illis qui umbratilem degunt vitam, plethoricis, obesis, ne in insomniis et mala dige-

Digitized by Google

507

stione vexentur, utiliorem esse vegetabilem victum; phlegmaticis contra et exsuccis animalem. Quamquam vero optimum praebere alimentum singulos fructus, horreos speciatim, atque erroneum esse ex iis dysenteriam, ut vulgus censet produci, Degner, Tissot aliorumque observationes doceant, coctos tamen prae crudis saluti multo magis conferre certum est.

XII.

Ater, lividus, viridescens, vel variegatus color, odor putredinis, a coctione durities, mucedo atque tenacitas, pedunculus fistulosus, signa sunt, quae, ut fungi venenati ab esculentis distinguantur, proponit Gmelin. Coqui vero e coctione cum cepa, vel ex lamina sub coctionis opere demersa eruunt indicia; si enim fungus atrum colorem assumat, si lamina prompte in oxydum abeat, de infensa fungi indole dubitant. Etiamsi fallacia esse memorata signa profiteatur Gmelinus, tum affirmat Cartensier; nihilominus prudentis erit, iis adnotatis, fungos rejicere, nec, nisi probe cognita fungi esculenti specie et innocua natura, iisdem uti.

XIII.

Sed cibi non semper ingeruntur, quales homini natura praebet, et quamvis primi hujus orbis habitatores vixisse credantur ex victu vegetabili minime condito; tamen cultura docuit, cibos condimentis praeparare, prius-

Digitized by Google

quam sumantur. Et consonum rationi est, nam plures hujusmodi substantiae praeparatione quadam indigent, et igne ut fibrae separentur, aër avolet, gluten attenuetur nimis tenax, sapor inde perceptibilior exoriatur ex particulis oleoso-salinis, evaporentur aquosae, et sic processus digestionis primus locum habeat extra corpus. Sed condimentorum ratio atque natura non raro in damnum esse potest.

Et prius nostram attentionem sibi vindicat sal. Sal marinus, sive hydrochloras sodae, utpote necessarium, atque indispensabile condimentum, a fere omnibus habetur nationibus, et tam constans et universalis est hujus substantiae usus, ut gravissima damna insurgerent, si nobis deficeret. Dividit ipse et diluit mucum et ciborum gluten, adauget saporem, atque a putredine humores defendit. Quo magis calida est regio, eo magis hac ipsa ratione, necessarius homini evadit. Tamen, non raro, substantia haec damna infert organismo, nisi depuratus in usu vocetur. Qui ex surgentibus hauritur salubrior est, quamvis sal marinus sapore et acritudine majori gaudeat, unde fit, quod cum majori in copia particulas calcareas contineat, magis permeat corporis fibras, eisque adhaereat, et scorbuto haud raro originem praebeat. Observatum fuit majorem habitantium partem in illis regionibus, in quibus sal non depuratus, adhibetur, colore flavescente foedari, non aliter ac observamus in illis, qui longius calce, aut ejus praeparatis usi sunt. Si autem sal in vase depuretur ex cupro confecto, non difficile nocumentum aliquod exinde in scenam prodire observatum fuit. Ex Plouquet enim experimentis

Digitized by Google

504

patet, quod etiam corpus candidissimum quandoque particulas cupri continere possit, quin color pervertatur et hinc etiam sal, qui adspectu purissimus videtur, in damno salutis ad ciborum condimentum feratur. Acetum insuper, quod uti antisepticum praeclarae virtutis haberi meretur, cujus usus generalis suadetur, utpote substantia, quae laboriosos homines a febribus putridis, biliosis, atque dysenteria praecavet, non raro morbos quamplurimos et etiam gravissimos gignere valet, si adulteratus vendatur, et mala exinde prodeuntia, in relatione erunt cum natura substantiarum, quae fraudis gratia ipsi adjunguntur. Hinc non adhibeatur nisi acetum ex optimo vino paratum, nam si aliunde ex vino pessimae naturae conficiatur, sapore et virtute pollere non potest, quibus gaudere deberet, et ex hinc ad aciditatem ei praebendam in usum vocantur ari maculati radix, daphne mezereum, laureolae, aromata varia, acria, piper, gingiber, galanga, ut acetum destillatum videatur, tantam aquirit acritudinis vim, quod tamen, nisi cum salutis gravi discrimine in usum vocari non potest. Oleum ipsum nocumento esse potest si adultum sit, vel in vasis cupreis vel plumbeis asservetur. Particulae saturninae in ipso solvuntur, et saporem communicant dulcem, sed nisi cum periculo adhibetur. Aromata cibis admisci caveatur majori quantitate ac par sit, vel si sint adulterata vel corrupta. Praecipue piperis color fraudi favet mercatorum, qui substantias permultas nocentes ipsi adjungunt. Stimulus ab aromatibus ventriculo illatus efficit ut ad inflammationes disponatur, atque deinde sensim sensimque ventriculi vires infringantur, un-

Digitized by Google

de nauseae dolores colici, dyspepsia, anorexia originem repetunt.

XIV.

Concludendum igitur. Ad carnes quod attinet, ut animalia, a quibus eae suppeditantur, incolumi valeludine polleant curandum. Aegyptios, Hebraeos, Romanos, Turcas hanc non neglexisse cautelam historia prodit. Quod si infectae carnes innocuae identidem visae traduntur; non tamen inconsulto iisdem utendum; inter dubia enim tutiorem esse diligendam partem, medica suadet prudentia. Immaturae neonatorum animalium carnes, utpote viscidae et digestu difficiles ablegandae. Hae quippe non nisi quinta transacta hebdomada, ut Frank putat, salutares habentur. Ab usu carnium nimia pinguedine scatentium utpote fibrarum flacciditati faventium, cavendum; succulentae cum pinguibus non confundendae: exsuccae, senio et tabe confectorum carnes respuendae. Respue et illas, quas recens mactatum animal praebet, quippe quae difficile coqui, et proinde digeri queant. Citius dicto computrescentes carnes, uti et putridi pisces rejicienda sunt. Quum vero saliti pisces, ubi in eorum usu continuo insistamus, damno sint, sicquidem hinc scorbutum, scabiem ipsamque norvegicam lepram producta medici tradunt: iis adeo, uti cunctis salsamentis modice utendum. Aquaticis iis animantibus, quae datis anni temporibus noxia evadere diximus, ne tunc utaris, sedulus cave. Prudentissimum et erit a lactis usu abstinere, ubi suspecta ejusdem natura fiat; saluti multo magis infensum esse

Digitized by Google

506

coctum, quam crudum lac, fretus experimentis, putat Boerhaavius; crudum ideo cocto anteponendum, eo vero usurpato, ab acidorum usu abstinendum, ne tormina ventris, colici dolores aliaque mala, de quibus Zimmermann, enascantur. Farina lacti incocta jusculum praebet difficilis coctionis, ac infantibus nocentissimum, quod ex laudato Zimmermanno et Vandermonde ablegandum est.

XV.

Verum nec eadem alimenta, nec eadem copia singulis prodesse, atque aetatem, sexum, clima, vivendi genus plurima discrimina adducere, non valet, ut demonstremus. Pueris ideo, sequiori sexui ac senibus leviores, humidos facilisque digestionis cibos: pleniorem vero et valentiorem victum adultis et robustis hominibus aptari monebimus. Qui valido exercitio se dedunt, longe majorem, quam desides, alimentorum copiam ingerere possunt; quin etiam, ne ex maxima ea, quam ingerere deberent alimentorum quantitate uberior et saluti infensa nutritio obtineat, duriora alimenta ad salutem tutandam isti homines deligant.

XVI.

Alimenta vero toties ingerenda, quoties necessitas, quam novus subortus appetitus indicat et postulat. Hinc juniores prae adultis, exercitatos prae desidibus, valentes prae debilibus alimenta frequentius capessere

Digitized by Google

debere, perspicuum. Illis igitur jentaculo, prandio, saepe merenda ac coena, verbo, singula saltem sexta hora alimentis uti conducit, his prandium et coena sat sunt. Prandio autem et coena ita utendum, ut abundantius prandium, parcior coena sit, ne somnus turbetur et salus. Perperam autem sobrii se jactitare dicendi, qui una vice intra nycthemerum alimenta ingerunt, satius namque et saepiusculo pauca alimenta stomacho afferre, quam raro ingenti cum sarcina onerare. Inedia, ut saluti omnimodo adversa, a cunctis cane pejus et angue vitanda.

XVII.

Quum porro alimentorum digestioni exercitium plurima conferre vel ex dictis elucescat; pro pastu igitur eligendae sunt horae, post quas cito se lecto dedere homines non cogantur. Inter prandendum tutissimam init viam, qui omnes abigit curas, qui quietus et affectibus expers comedit, ac moderate, speciatim versus prandii finem, bibit nec solam aquam potat. Faverit etiam ante pastum leniter deambulare: inter comedendum alimenta probe mandere, nimio nunquam cibo repleri ac satiari; nec illico a pastu laboribus ac studiis se tradere, ne momentorum digestionis opus turbetur ac salus.

Digitized by Google

505

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE

I.

Nemo optimus chirurgus nisi optimus sit medicus.

II.

Immodicum stimulorum usum debilitas prius spuria serius vera subsequitur.

III.

Liquorem amnii ad fetus nutritionem inservire negamus.

IV.

Non omnes humores animales vitalitate carere defendimus.

V.

In universalis syphilidis cura usus moderatus vini non semper denegandus.

VI.

In oculi anticam cameram cataractae portiones collocare juvat.

VII.

Mere dynamici et mere organici morbi haud dantur.

VIII.

Cordis contractiones in motu sanguinis per capillare vasorum systema nec non per venosum absque influxu non sunt.

Digitized by Google

5'1'7

IX.

Balsamum copaive urinarum conditionem mutando optimum evadit in blennorrhoea remedium.

92 332231

Digitized by Google

20

Digitized by Google